



Ioannes Vlatenus ex nobili familia apud Belgas natus, & honeste educatus est. Is cum prima artium & linguarum fundamenta iecisset, ad altiora studia animum contulit, & in virum doctissimum evasit. Id cum Clivensis dux percepisset, eum plenimum dilexit, inter consiliarios recepit, & res magnas administrare iussit. Accidit autem tum, ut Clivensis dux Geldriam occuparit, atque cum Carolo Cæsare simultates exercuerit. Cum autem ob adventum Cæsaris magnum bellum instare uideret, Anno 1543 Norinbergæ comitia celebrata. Ad ea Vuilhelmus hunc Iohannem legatum misit, & res magnas expedire iussit. Ibi Electores & alij principes intercesserunt, & cum Granuellano de inducijs egerunt, interea dum Cæsar eas approbaret. Eas etiam Ioannes accepit, & cum pacis esset cupidus, intercessoribus gratias egit. Verum interea inter Cæsareanos & Clivenses ad oppidum Sittardum prælium commissum, in quo Clivenses superiores facti, Galli hortatu Inducias repudiarunt. Erat id Ioanni molestissimum, dum rei eventum cognosceret, & multis prædiceret. Itaque postea cum Cæsar uictor esset, multò clarior factus, dum omnes eius prudentiam, & in rebus futuris perspicacitatem, uiderent, & admirarentur. Verum mox eius princeps cum

Cæsare in gratiam rediit, & ipse apud omnes in magna autoritate fuit. Joan. Sleid.